


PER. *Drupa* oblonga, glabra, carnosâ, unilocularis.

SEM. *Nux* oblonga, durissima, lignosa, extus fibrosâ putamine crasso, obsolete quinquangulari (vel 4:angulari), quinquelocularis (vel 4locularis) *loculis* teretibus, cylindricis, curvis: *nucleis* cylindricis, curvis.

Habitat in CUMANA culta, copiosissime vero silvestris in adscensu montis citra fluvium.

Spondias descr. Gen. Pl. 402. vel *Monbin* Plum. quoad florem sat bene convenit cum flore *Hobo*; sed fructus ibidem descriptus propior videtur *Cedro*, cujus character. supra dedi. An itaque cum *Cedro* nominata *Hobo* & *Chrysobalanum* inter se sat similitudinis habeant, confusio aliqua Auctorum in his describendis orta erit.

Acayam Marcgrav. & *Acayam* Labat (qui *Cedro* idem) eadem origine gaudere easdemque significare arbores, opinor.



Sectio 3:ia.

OBSERVATIONES

Genera Plantarum illustrantes.

84. TAMARINDUS. Gen. Pl. 42.

CAL. *Perianthium* . . . *foliolis* oblongis, concavis, superiore reliquis paulo latiore.

COR. *Petala* tria, lanceolata, basi complicata, intra basin folioli calycis latioris, omnia ad latus superius patentia, undulata, venosa; intermedio angustiore & brevior.

Nectarii setæ duæ sub filamentis,* breves.

STAM. *Filamenta* tria; ex inferiore calycis parte vacua, adscendentia, ad medium connata in unum corpus: laciniis subulatis. *Anthera* oblongæ, utrinque acutæ, antice planæ.

PIST.